

- Beispielhafter Auszug aus der digitalisierten Fassung im Format PDF -

Flora Lapponica Exhibens Plantas per Laponiam Crescentes, secundum Systema Sexuale Collectas in Itinere Impensis

Carl von Linné

Die Digitalisierung dieses Werkes erfolgte im Rahmen des Projektes BioLib (www.BioLib.de).

Die Bilddateien wurden im Rahmen des Projektes Virtuelle Fachbibliothek Biologie (ViFaBio) durch die [Universitätsbibliothek Johann Christian Senckenberg \(Frankfurt am Main\)](#) in das Format PDF überführt, archiviert und zugänglich gemacht.


LINNÆI
Flora
Apponica.

N 10
50


J. J. A. Wild & altheer tot
utrecht


N^o 3628.


10











ad Titulum.



M. Hoffmann del. *J. von der Laan sc.*

VIRO NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO
D: GEORGIO CLIFFORTIO J. V. D.

CAROLI LINNÆI
Doct. Med. & Acad. Imp. Nat. Cur. Soc.
F L O R A
LAPPONICA

Exhibens

P L A N T A S
Per
LAPPONIAM

*Crescentes, secundum Systema Sexuale
Collectas in Itinere
Impensis*

SOC. REG. LITTER. ET SCIENT. SVECICÆ

A. CICCI CC XXXII.

Instituto.

Additis

Synonymis, & Locis Natalibus Omnium,
Descriptionibus & Figuris Rariorum,
Viribus Medicatis & Oeconomicis
Plurimarum.

AMSTELÆ DAMI,
Apud SALOMONEM SCHOUTEN.
CIC CI CC XXXVII.

A
2. 5.

M

Virg. Georg. IV. 517.

*Solus hyperboreas glacies Tanaimque niualem
Aruaque Riphæis nunquam viduata pruinis
Luſret.*

... und die nächsten 10 Seiten ...
... and the next 10 pages ...

plantis his diuersa procreat, hinc describo & depingo nostras species, ne vllum remaneat apud Botanicos dubium de iis, quas sub nostro nomine intelligimus.

242. PEDICULARIS *caule simplici, foliis lanceolatis semipinnatis serratis acutis.* * Tab. IV.
fig. 1.

Pedicularis caule simplici, foliis lanceolatis serrato-pinnatis acutis. F. L. 57.

α. Vbiue in Alpibus nostris fabulosis & lapillofis frequens est.

β. Pedicularis Tab. IV. fig. 1. videtur noua & nondum descripta. Dillenius.

γ. Radix perennis.

Caulis spithamæus, erectus, fere rectus, teres, lœuis.

Folia Radicalia vix vlla; *Caulina* septem vel octo, lanceolata, acuta, basi angustata in petiolum, alterna, pinnatim fere & ad medium diuisa in quatuordecim ad viginti pinnas, *pinna* singula denticulis vtrinque duobus ad quinque usque paruis crenata, glabra.

Spica laxa, tetragona caulem terminat, singulis floribus subiicitur vnicum folium, inferiora folia floribus longiora, superiora vix calicis longitudinem adsequentia, flores a perpendiculo declinantes sex ad sedecim usque in eadem spica.

Floris singuli *Calix* lœuis, tubulatus, ore bifido obtuso. *Corolla* ringens, flava, labio superiori compresso, apice producto, deorsum reflexo, & prominente, rostri aquilini instar.

243. SCEPTRUM CAROLINUM Rudbeckii. it. dedic. vide Nostram Tab. IV. fig. 4.

- Sceptrum Carolinum*, flore aureo magno, rictu floris sanguineo. Rudb. lap. 100.
- Antirrhinum aquaticum*, flore luteo Sueorum. Rudb. hort. 9.
- Antirrhinum nostrum aquaticum*, flore luteo. Rudb. cat. 4.
- Alecturolophus lapponica lutea*, digitalis flore. Petiv. hort. 241.
- Pedicularis alpina*, folio Ceterach. Helw. flora. 39.
- ¶. In Alpium laponicarum nemoribus est locus huius plantæ natalis, licet non raro in sylvis, præser-tim ad ripas, obseruetur per totam Lapponiam syl-uestrem, præcipue Lulensem; non raro etiam in locis ab Aipibus nostris remotissimis legitur, ut in-ter Kemi & Io, vbi totam viam regiam adeo imple-uit, ut fere equo, qui relaxatis habenis cursum suum accelerat, obniti possit.
- ¶. Historia huius plantæ data est in Disp. de *sceptro Carolino* per Nobiliss. *Rudbeckium* nepotem, vide B. B. 45.
- γ. Plantam hanc speciosam in Suecia primus nomina-vit *Rudbeckius pater* nomine Antirrhini; *Rudbeckius filius* autem in itinere per Lapponiam, eandem re-perit iuxta fluuium Lulensem prope Haresby, vbi etiam eius & Illustrium Comitum nomina arbori incisa legi. Placuit ipsi præ reliquis speciosissima hæc planta, caule superbiens recto firmoque, floribus fere verticillatis, sceptri instar, exornata, quorum singuli lucent saturato flavo colore aureo & limbo instruuntur personato Leonis ori simili, at labiis pa-rum sanguinea rubidine tintis. Hinc in dedicatione itineris laponici tomi primi (qui produxit) hanc plantam *Sceptrum Carolinum* dixit a Rege nostro p. m. potentissimo Carolo XII, tum armis bellique fortunæ imperante.
- ¶. Figuram huius plantæ optimam splendidissimamque dedit Magnus noster *Rudbeckius filius* in Itin. lap. sed

sed ad specimen tenue confectam exhibuit laudatus *Helwing* in Flora sua quasi modo genita; Nos tertiam exhibuimus Tab. IV. fig. 4. 5. sed tantum quoad summam partem caulis b. & unicum folium radicale a. cum flore c. pericarpio d. & seminibus. e.

- 4. Differt hæc species a reliquis nobis notis congeneribus: 1. *Corollæ* rectu clauso. 2. *Pericarpio* subrotundo, acuminato, sed regulari, reliquæ enim nostræ species acumine obliquo inflexum gerunt pericarpium. 3. *Magnitudine*; adscendit enim ad altitudinem dimidiæ humanam. 4. Flores deinde quasi verticillatos, quatuor, quinque, tres, ad genicula positos, remotos, profert. 5. *Labii inferioris* apice purpurascens, toto petalo alias flavo.
- 5. Eandem obseruauimus in Westrobothnia, Ostrobothnia, Dalekarlia prope Alpes Dalekarlicas ut Sernæ, Transtrandæ &c. at Cl. Celsius in Uplandia eandem anno 1729. sponte nascentem nobis demonstrauit.
- 6. Usus huius plantæ nullum noui, sed sane eam vidisse sufficit, præterquam quod Transtrandæ vulgus semina eius conrita dentibus adponat, ad dolores dentium sopiaendos.
- 7. Descriptio hæc est.

Radix eius est semipedalis in fibras desinens, crassitie minimi digiti, sensim angustior, ramulos tenues hinc illincque emittens, ad cuius caput vel sumnum, ubi marginem terræ attingit, barbam emittit villosam, intra quam folia emergunt.

Folia ex radice exsurgent, quatuor ad octo, petiolis breuibus, medio sinuatis, e latiusculo principio sensim sensimque in neruum attenuatis, qui intra basin ipsius folii vicem nerui supplent. Costa seu neruus longitudinem folii pertransit, qui respectu ipsius folii satis magnus & crassus est, a latere superiori cum ipso fullo parallelus, ab inferiori vero valde prominens. Ramos partiales continuo ad lacinias

cinias folii emittit, qui interdum opposite, interdum alterne ab eodem egrediuntur. Folii vero corpus longitudine pedem Parisiensem dimidium, latitudine uncias duas æquat. Dividitur porro ipsum folium in plurimas lacinias ad costam fere sectas inter se æquales, prope apicem tamen minores; laciniae hæ, ut ipsum folium, obtusæ, serratæ & iterum, quemadmodum folium, in lacinias minores, subdivisiæ, non vero tam profunde quam ipsum folium. Totus foliorum margo, sub quo etiam intelligimus & comprehendimus lacinias maiores & minores, undique obtuse serratus est. Color foliorum viridis, veluti ac omnium fere plantarum, saturior autem ac in aliis, magisque ad nigredinem vergens.

Caulis vero rotundus, leviter striatus, leviter etiam scaber, foliis communiter destitutus, exceptis illis, quæ ad exortum floris emergunt. Longitudo eius ad minimum superat pedem unicum, duos communiter æquat, raro vel tres. Raro etiam ramosus evadit caulis, interdum tamen unicum vel alterum emitit ramulum. Ab una eademque radice communiter singularis exit caulis, sepe tamen duo ad quinque circumcirca ad maioris exortum collocantur.

Flores in caule sæpe oppositi terni, quaterniue vel quini, veluti ad unum internodium egrediuntur, communiter tamen leviter sparsi reperiuntur. Petiolis omnibus destituantur, quos flores Botanici vocant Sessiles. Ad exortum florum foliola nonnulla subiiciuntur, quasi vicem calicis communis supplerent. Foliola hæc, reliquis satis similia, sed veluti ac ipsi flores sessilia, b. e. sine caule, parum laciniata, magis autem acuminata & serrata, longitudine semiunciae exporriguntur. Petiolis hisce remotis, alia adhuc minora in conspectum prodeunt, quorum singula, singulis calicibus florum subiiciuntur, quibus etiam satis similia sunt, ut facile ab incantis pro parte

*parte quadam calicis haberentur: a parte inferiore
calicem ambiunt, longitudine superant eundem.*

Calix monophyllus, ventricoso-tubulatus, minus tamen
ac in speciebus *Fistularia*, sub quarum sectione, ut
antea dictum est, *Sceptrum Carolinum* refertur,
rectus, in caule decussatim fere positus, ore obtuso,
quadrifido, obtuse serrato, usque ad maturascentiam
fructus superstes.

Corollæ Petalum unicum, tubulatum, personatum,
marcescens, calice duplo longius, ore, in duo labia
clausa, diuiso, quorum superius concavum, galea-
tum, emarginatum, ad margines a latere interiore
leuiter pubescens: inferius autem longitudine supe-
riori par, in tres lacinias obtusas & aequales, se-
ctum. Totum petalum, colore insignitur luteo, ex-
ceptis laciniis labii inferioris: hinc cecinit Rudbeck
fil.

Hwars blomma lik en hielm so gul som gullet lyser
Med blek och blodig mun samt blod-bestenkte blad.

Stamina quatuor secundum galeam, sub qua etiam re-
conduntur, incurva, & apicibus oblongis instructa
sunt.

Pistillungermine ouato, stylo simplici intra labium su-
perius corollæ, corolla fere longius, stigmate obtuso
gaudet.

**Fructus intra calicem positus per maturitatem in ca-
psulam membranaceam**, globosam cum acumine,
transformatur, & septo intermedio in duo diuidit
tur loculamenta, ab apice per maturitatem ad basin
usque dehiscit in valuulas.

Semina plurima, membrana rugosa, magnitudinem
seminum longe superante inclusa, ita ut unumquod-
que triangulari propriasua membrana, trigona rugo-
sa a ceteris soluta placenta que adixa circumdetur.

Qui plura desiderat, adeat prædictam dissertationem
de Sceptro Carolino.

244. PEDICULARIS *caule simplici, foliis semi-pinnatis obtusis, lacinias imbricatis crenatis.* Tab. IV. fig. 2.

Pedicularis caule simplici, foliis oblongis obtusis, lacinias pennatis, imbricatis. F. L. 57.

a. In Alpium lapponicarum summis iugis frequens est.

b. Pedicularis Tab. IV. fig. 2. est *Pedicularis alpina folio ceterach.* Bauh. pin. 163. Tournef. inst. 173. a Gesnero (*Herba foliis Asplenio persimilibus Gesn. fract.*) breuiter sine icone descripta. *Dilleniuss.*

c. Hæc quoad faciem primo intuitu antecedenti valde similis est, licet vigesies minor; differt deinde a reliquis nostris,

1. quod folia Filipendulæ sint simillima, & laciniae imbricatae;

2. quod radix tuberosa sit & fusiformis;

3. quod florum corollæ fuluæ sint & labii superioris apex purpurascens;

4. quod labium inferius sit superiore dimidio breuius.

d. *Radix tuberosa, fusiformis* (vt Sifari off.) basi squamis nonnullis coronata.

Caulis simplex, sine ramis, vix digitæ longitudine, teres, nigro-purpurascens, erectus.

Folia Radicalia plurima, patentia, singula petiolis filiformibus insidentia, obtuse lanceolata, ad nervum longitudinalem fere pinnatim diuisa, *Pinnis* fere ouatis, proximis, ita ut margo alterius pinnæ incumbat proximæ, per margines crenatis, singula crena minoribus crenulis notata. *Caulina rariora*, nonnulla spicæ subiecta, radicalibus similia.

Spica caulem terminat, eiusque tertiam partem tegit, erecta, compressa, oblonga. *Calix* striatus, tenuis, quadridentatus, oblongus. *Corolla* angusta, labio inferiori minimo, superiori angusto, fere

fere erecto, obtuso; tota est fulua, excepto apice labii superioris nigro-purpurascente. Pericarpium acuminatum, apice incurvo.

245. PEDICULARIS *caule simplici, calicibus villoſis, foliis linearibus dentatis crenatis.* * Tab. IV. fig. 3.

Pedicularis caule simplici, foliis oblongis dentato-pinnatis, calicibus villoſis. F. L. 57.

a. In iisdem locis cum antecedenti provenit, nec extra Alpes hanc vel illam unquam obseruauimus.

p. Radix perennis, ramosa, fere carnosa, & fibrosa.

Caulis simplex & sine ramis, longitudine dimidii digiti, respectu magnitudinis crassus, ad basin squamis oblongis, confertis, cinctus.

Folia Radicalia fere squamæ lineares sunt, *Caulina* squamis paulo longiora & ad apicem crenata, superiore circumscriptione sua linear-lanceolata, ultra medium partem pinnatim in denticulos divisa, parte intermedia & integra remanente plana, lata, & orta e petiolo lato, amplexicauli. *Denticuli* autem angustissimi sunt & minutissime crenati.

Spica florum caulem terminans breuissima est, sed crassa & quadrangularis, constans floribus sex usque ad duodecim, sessilibus, *Calicibus* magnis, ouatis, ultra medium quadrifidis, acutis, hirsutis, cinereis, *Petalo* vero pallide incarnato toto, labio inferiori breviori, superiori erecto obtuso. Macula cordata saturate carnea in labio inferiori conspicitur.

y. Differt & a *Pediculari vulgari minori* & ab omnibus aliis, foliorum petiolis latis amplexicaulibus, *Calicibus* villoſis, *Corollæ* colore & crenis foliorum.

246. EUPHRASIA caule simplici, foliis cordatis
sessilibus obtuse serratis. *

Pedicularis alpina, teucrii folio, atro-rubente coma.
Tournef. inst. 172.

Chamædri vulgari falsæ aliquatenus affinis alpina ♂
Clinopodium alpinum Ponæ. Bauh. hist. 3. p. 289.

Clinopodium alpinum. Pon. bald. (apud Clusium)
343.

Clinopodium alpinum hirsutum. Bauh. pin. 225. Pluk.
phyt. 163. f. 5.

α. Locus huius natalis in Alpibus, ubique tamen ad
maiorum fluuiorum ex Alpibus prodeuntium ripas
satam videre licet eandem in sylvis Lapponiæ.

β. Radix perennis, fibrosa.

Caulis simplex, erectus, spithameus.

Folia opposita, cordata, sessilia, obtuse serrata; in-
feriora gradatim minora, superiora propiora, co-
lore atro-purpurascente piæta.

Flores ex alis foliorum supremorum & coloratorum
prodeunt solitarii, ad idem latus inflexi.

247. EUPHRASIA caule ramoso, foliis ovatis acu-
te dentatis. *

Euphrasia officinarum. Bauh. pin. 233.

Euphrasia altera. Dod. pempt. 27.

Euphrasia vera. Rudb. cat. 16. hort. 41.

Euphrasia. Frank. spec. 13. Till. ab. 27. ic. 25.
Rudb. vall. 13. Riv. mon. 132.

α. *Euphrasia minor.* Dill. app. 53.

Euphrasia quedam alpina parva, duas uncias vix ex-
superans. Scheuch. alp. 334.

β. In Alpibus & desertis vulgaris est.

γ. Varietas ista (α), differt a naturali planta,
1. quod flores in naturali triplo sint maiores, quam
in hac;

2. quod

2. quod calix in hac quadrifidus sit, in naturali vero quinquefidus;
3. quod hæc minor sit naturali;
4. quod hæc sæpius ramis careat. Qui tamen considerat faciem, & texturam, easdem esse species facile agnoscit.

248. RHINANTHUS *corollæ labio superiore breuiore.* *

- α.** *Crista galli femina.* Bauh. hist. 3. p. 436.
Crista galli flore luteo. Rudb. hort. 29.
Crista galli. Frank. spec. 11. Rudb. cat. 12.
Crista galli pratensis humilior, coma fusca. Rupp. jen. I. p. 194.
Crista galli seu Pedicularis pratensis, flore luteo. Lind. wks. 10.
Pedicularis pratensis lutea seu Crista galli. Bauh. pin. 163. Tournef. inst. 172.
- β.** *Crista galli mas.* Bauh. hist. 3. p. 436.
Crista galli. Till. ic. 130.
Crista galli maior & elatior, calice floris hirsuto, rigidus limbo violaceo. Rupp. jen. I. p. 23.
Pedicularis pratensis lutea erectior, calice floris hirsuto. Tournef. inst. 172.
- γ.** In sylvis & Alpibus utraque variatio copiose prouenit.
- δ.** Ambas has varietates (**α. β.**) coniunxerunt veteres, proinde male excepti a recentioribus, qui tamen, qua in re differant, non dixerunt; quid obstatet, si hoc etiam tempore aliquis has coniungere tentaret? Plantam utramque optime noui; possunt etiam facile Synonyma variationum proprio suo individuo adsignari & sane primo intuitu a Botanices tyrone optime distingui, nam illa (**α.**) crescit in pratis siccioribus, floribus ad unum latus magis vergentibus, colore totius plantæ obscuriore & magnitudine infe-

206 DIDYNAMIA. ANGIOSPERMIA.

feriore; *Hæc* (s.) vero in agris vel subhumidis occurrit, pallidior, maior, & floribus magis distantibus. Cum autem describerem omnes partes, etiam minimas fructificationis, ne ullam obseruare poteram differentiam in parte quacunque plantæ quoad numerum, figuram, situm, vel proportionem (F. B. 282.), & ne quidem in ipsa macula ad rectum corollæ posita: Vnde has plantas varietates esse intellexi; qui itaque posthac has ad diuersas refert species, tenetur indicare differentiam aliquam e numero, figura, proportione vel situ partium de promtam, nisi ex professo varietates recenseat, tum enim gaudet priuilegiis iisdem, quæ concessa sunt Tulipaniacis, &c.

6. Genus hoc nil commune habet cum Pediculari, ad quam relatum fuit a Tournefortio; sed omnino ad Rhinanthum (Elephantem T.) pertinet, licet superiorius corollæ labium in hac breuius sit inferiore: Confirmant hæc facies, fructus, diuersæ species.

249. LIMOSELLA. * Lind. alsat. 156. t. 5.

Menyanthoides vulgaris. Vaill. paris. 126.

Plantaginella palustris. Bauh. pin. 190. Dill. app.

113.

Plantaginella. Buxb. A. R. 3. p. 271.

Spergula perpusilla lanceatis foliis. Gottsch. pruss. 261. f. 81.

Alsine palustris repens, foliis lanceolatis, floribus albis per exiguis. Pluk. phyt. 74. f. 4.

6. Ad ripas maiorum fluuiorum inferioris Lapponiæ sylvestris interdum occurrit.

250. PLANTA nostra Tabula XII. figura 4.

Campanula serpillifolia. Bauh. pin. 93. prod. 35.

Scheuch. alp. 131. Tournef. inst. 112. Rudb. lap. 96. f. 1.

Num-